

1340, Januar 6.

198.

*Die Gebrüder Harkstroh und Heinrich Berwich verkaufen dem Conventual des Klosters Berge Andreas von Insleben 1 Hufe zu Korlingen und 1/2 Hufe nebst 5 Höfen zu Altenweddingen, welche beim Kloster zu Lehen gingen, für 11 Mark Silber.*

Nos Arnoldus, Heinricus, Berwicus, Thidericus, Iohannes famuli, filii quondam domini Thiderici militis dicti Harkstro, et ego Heinrich dictus Berwich famulus, filius quondam Iohannis dicti Berwic, publice recognoscimus presentibus et fatemur, quod religioso viro ac domino domino Andree dicto de Insleve monacho monasterii sancti Iohannis baptiste prope civitatem Magdeburgensem cum consensu heredum nostrorum bona vendidimus infrascripta pro undecim marcis Stendalgensis argenti communis ponderis et valoris, unum mansum duodecim iugerum situm in campis ville Korligge, cuius sex iugera incolit Heyne Relferdes, solvens sex solidos in die sancti Mauricii, de iisdem alia sex iugera incolit Albertus de Drakenstede, sex solvens solidos die prenotato, dimidium quoque mansum in campis ville veteris Weddigge, cuius tria iugera incolit Conradus Deghenhardi, solvens tres solidos die prescripto, Heyne Cruder unum iuger, solvens unum solidum et duos pullos, Tyle Barnige unum iuger cum dimidio, solvens decem et octo nummos, Henniggus Rote dimidium iuger, solvens sex denarios in die sepe dicta; item quinque curias in campis eiusdem ville, unam ex his tenet Hennig de Domsleve, solvens ex ea tres solidos et duos pullos, Hedike Dul aliam curiam, solvens duos solidos, Clawes Cruder tertiam curiam, solvens solidum et III pullos, Ian Ploto ex quarta solvet dimidium fertonem, Cone de Meyger ex quinta lottonem. Hi omnes prescripti die sancti Mauricii persolvere pactam vel censum tenentur supra scriptum. Que bona parentes nostri nosque iam dudum tenuimus in pheodo a venerabili viro et domino abbate monasterii sepe dicti. Ipsa vero bona nunc omnia et singula huius venditionis causa remisimus et resignavimus in manus venerabilis domini nostri Zlauconis abbatis renunciantes omni iuri quod habuimus in predictis, nostris filiis consanguineis et affinibus quacumque linea consanguinitatis descendentibus hereditarium ius in his abdicantibus. Preterea nihil venditum nihilque solvendum de his predictis bonis cuiquam redditibus exceptis infrascriptis affirmamus, ni forte dominorum vel advocatorum violentia quaquam exegerit vel potestas. Et si quisquam consanguinitatis (!) vel emptionis iure prescriptos ultra redditus impetierit sepe dicta bona, damnum nos eidem domino Andree vel alteri de predictis monasterii parte postulanti reddere tenebimur universum infra mensem amonitionis die termino computato.

Acta et placita sunt hec in presentia venerabilis domini Zlauconis abbatis et testium subscriptorum, videlicet domini Deghenhardi plebani in Barendorp, domini Wilkini hospitalarii, domini Henrici camerarii, fratrum prescripti monasterii, et Gevehardi Verhiltzeke famuli et Heyne